



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

429. An, & qualiter Coadiutoria cesset per mortem Coadiutoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Questio 427. An possessio coadjutoris præjudicet jubilationi coadiuti?

Resp. Possessionem Coadjutoris neque præjudicare jubilationi Coadjuti, neque ex dicta possessione perfici illam jubilationem. Lotter. l. 2. q. 25. n. 40. citans Rotam in Tirafon. Coadjutoria. 8.

Novemb. 1598. deducens idiplum ex dictis à se n. præced. nempe quod Coadjutor & Coadjutus uterque se junctim possideat, & possessio utriusve versetur circa diversa, ita nempe, ut Coadjutus possideat beneficium; Coadjutor verò officium, & jus illud de novo creatum.

CAPUT DECIMUM.

De expiratione Coadjutoria.

Questio 428. An & qualiter coadiutoria expiret per mortem coadiuti?

1. **R**esp. primò per obitum Coadjuti cessat coadiutoria temporalis Laym. in c. unic. de cler. agrot. in c. 5. præsentis. n. 5. (ibi enim loquitur de coadiutore Episcopi non perpetuo; cum dicat adveniente administratore legitimo, qualis est capitulum sede vacante, cessare officium administratoris dativi, qualis est iste non perpetuus coadiutor) Fagn. in c. ex parte. de cler. agrot. a n. 9. cum communi, juxta quod expressum in c. grandi de suppl. neglig. prælator. in c. 8. & ibi AA. Et sic expirat Coadjutoria talis cum omnibus ejus effectibus mortuo Coadjuto, sicut jus usu fructuarium perit corpore perempto. Fagn. loc. cit. n. 10. & 11. ubi etiam, quod AA. illud intelligant de morte civili, ut quia renunciat vel deponitur is, cui datus Coadjutor; cum talis quò ad ecclesiam habeatur pro mortuo. idque ad exemplum tutela, quæ similiter finitur per mortem pupilli tam naturalem quam civilem; unde jam mortuo Coadjuto jurisdictionem exercebit Capitulum, vel is, ad quem spectat sede vacante. Fagn. loc. cit. n. 13.

2. Resp. Secundo. Cum Coadjutoria cum futura successione duas complectatur gratias; primam, quæ verè Coadjutoria est; secundam, quæ est provisoriam futuræ successione; prior verè cesset per obitum Coadjuti, utpote cessante ejus causâ finali Gonz. gl. 5. 6. 9. n. 53. Remouch. c. 17. n. 5. Fagn. loc. cit. n. 15. ubi: Coadjutoria hujus secundæ speciei (nimirum cum futura successione) quatenus respicit favorem Coadjuti, expirat eo mortuo ad exemplum Coadjutoria temporalis. citat pro hoc Puteum, decis. 226. n. 3. l. 3. & valent pro hoc rationes, quæ pro extinctione Coadjutoria temporalis, eademque extinctio ad mortem civilem. Altera verò non tam expirat, quam redditur tunc efficax, sive de habitu reducitur ad actum; quia eveniente obitu Coadjuti, jam ipso jure vi clausulæ illius, ex hunc prout ex tunc: acquiritur Coadjutori verus titulus Prælatuæ vel beneficii. Remouch. loc. cit. Fagn. loc. cit. n. 16. ubi: Coadjutoria hæc, in quantum respicit favorem Coadjutoris; per obitum Coadjutoris non expirat, ut declarat Puteus decis. 98. l. 2. per hujusmodi enim gratiam preventivam acquiritur Coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum &c. ubi nota illud: eveniente vacatione; præcedit namque in eo casu (saltem naturâ) vera vacatio per cessum vel decessum Coadjuti, juxta quod dicitur in literis Coadjutoria: cum primum tale beneficium per cessum vel decessum, sicut

quamvis aliam dimissionem vel amissionem præfati Coadjuti, vel alio quovis modo vacare contigerit. Gonz. loc. cit. n. 66. juncto n. 68. non enim continuatur jus primævum & titulus Coadjuti in Coadjutorem, nec datur fictio non vacationis. Gonz. n. 67. Remouch. loc. cit. sed sequitur intrinsece aliquam vacationis speciem physicam, etsi censeatur moraliter non vacasse beneficium, ex quo statim in ipso momento obitus Coadjuti gratia accipiat vigorem, Remouch, qui tamen in hoc videtur sibi contradicere, dum subdit: proinde apparet, quanta nasceretur utilitas in gratiam Coadjutoris, si caperetur possessio inris pendente vitâ Coadjuti, utpote quod eo casu nullum superesset instans vacuum possessionis non magis quam tituli.

3. Resp. Tertio. Quod si ante concessionem Coadjutoria (intellige perfectam per acceptationem Coadjutoris) decessisset vel etiam cessisset Coadjutus non tam expirabit Coadjutoria, iurisdicatio & administratio, ut docet Engels ad rit. de cler. agrot. n. 9. devolutâ illâ jure ordinario ad capitulum, utpote cui non dabatur coadiutor, & cui per dationem illam coadiutoris non adimebatur iurisdicatio capitularis sede vacante; quam ea ab initio nulla fuit etiam quò ad secundam gratiam, seu gratiam futuræ successione. Garc. p. 4. c. 5. n. 131. Lotter. l. 2. q. 25. n. 47. Remouch. loc. cit. n. 9. quorum sententiam tanquam probabiliorem secuti sumus supra contra Gonz.

Questio 429. An & qualiter cesset coadiutoria per obitum coadiutoris?

Respond. Cessare illam per illius obitum. Remouch. c. 17. n. 1. cum communi. ubi etiam, quod tunc coadiutus de novo possit per modum cessionis vel canonice resignationis disporre de suo beneficio vel prælatuæ. An verò dein, superveniente obitu coadiuti in mense ordinarii, possit illud providere ordinarius, pender ex illa questione; num per manus Papalis appositionem in favorem Coadjutoris manserit illud deinceps affectum, & subductum provisioni ordinariis in quò puncto affirmativam tenent Remouch. loc. cit. & Ventrigl. tom. 2. annot. 13. n. 55. & de quò nos satis supra.

**

O 4

Quest.